

No. 570. 1367. 11. Jan.

B. Johann eignet dem Domherrn Conrad Pruze und dem Capitel von Ersterem erkaufte Zinsen zu Mittelebersbach.

In nomine domini amen. Nos Johannes dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus notum facimus — quod quia honorabilis vir dominus Conradus Pruze archidiaconus Lusatiae et canonicus ecclesiae nostrae, volens sibi de rebus transitoriis aeternam post hanc vitam comparare requiem ac suae, progenitorum et benefactorum suorum exinde animarum incorruptibilem et indeficientem procurare mercedem, ab honesta matrona Chûnegunde, relicta quondam Syffridi de Wachow et Henczkone de Wachow eius filio in villa Nuendorf^{a)} residentibus bona infra scripta, videlicet duos mansos cum dimidio cum quinque areis attinentibus, sitos in villa et pago villae, quae media villa Ebirspach^{b)} vulgariter dicitur, in districtu seu territorio Haynensi sita, solventes annuatim censum infra scriptum cum pratis pascuis virgultis aquis aquarum decursibus viis et inviis, cum pullis ovis lino ceterisque oblagiis, cum quatuor modiis siliginis et quatuor modiis avenae mensurae Radeburgensis cum quadam decima minuta, quae de certis animalibus annuatim nascentibus dari consuevit, et generaliter cum omni iure utilitate honore et fructu, ac universis suis pertinentiis, quibuscunque vocentur nominibus, quibus bona eadem ipsa domina Chûnegundis nomine dotalitii sive dotis, et Henczko eius filius praedicti in feudum a nobis et ecclesia nostra hucusque habuerunt — nihil sibi iuris aut consuetudinis reservatis penitus in eisdem, pro sua pecunia, videlicet pro triginta tribus sexagenis grossorum partim Pragensium et partim Mynensium ipsis integraliter et utiliter, prout coram nobis fassi sunt et in veritate recognoverunt, iam solutis, iusto emptionis et venditionis interveniente titulo comparavit. Et quos quidem mansos cum suis pertinentiis universis tam ipsa domina Chûnegundis, quae ad nostram propriam praesentiam personaliter veniens certa bona alia aequivalentia, de quibus contentari se dixit, in restaurum bonorum praedictorum venditorum loco dotis seu dotalicii se recepisse confessata est, quam etiam Henczko filius eius praedicti nulla penitus vi aut coactione interveniente, sed bona et spontanea voluntate ac animo hilari et iocundo arridentique facie cum iuramento de non repetendo bona eadem ulterius per dictam dominam Chûnegundem ut moris est praestito, in manibus nostris libere pro se et suis heredibus pariter resignarunt, renuntiantes expresse non per errorem aliquem, sed ex certa scientia omni iuri et actioni aut cuiuscunque canonis aut legis auxilio et beneficio, quibus contra venditionem resignationem et renuntiationem praedictas seu praemissorum aliquod possent in toto vel in parte venire aut aliquo modo se iuvare et specialiter iuri dicenti generalem renuntiationem non valere. Quare nobis praedictus dominus Conradus Pruze devote et humiliter supplicavit, quatenus mansos praedictos cum areis et quibuslibet aliis suis pertinentiis praedictis sibi — conferre — dignaremur ad finem et effectum, quod de bonis eisdem in ecclesia Mynensi distributiones pro

a) Naundorf bei Grossenhain. b) Mittelebersbach bei Radeburg.